



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 1. Quid & quotuplex sit mercatura

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

utilitatem quærunt, unde si quid damni pupillo ex culpa tutoris eveniat, tutor obligatur ad restitutionem.

4. Peccant gravissime & ad restitutionem tenentur, qui bona pupillorum suam velut prædam faciunt, ea in suum commodum convertunt, ex eis sibi suisque fructificant, ea distrahunt & interdum ad usuras tradunt, vel periculosa negotia-
tioni exponunt.

5. Peccant pupilli mortaliter, peccatis inobedientia, rebellionis, irreverentia, distractione bonorum absque consensu tutorum, deniq; in omnibus in quibus filij contra parentes peccare solent.

TITVLVS XIX.

*De Mercatura et Peccatis ac
injusticijs in illa committi solitis.*

Articulus Primus.

Quid & quotuplex sit Mercatura.

I. **M**ercatura sive negotiatio describitur, quod sit: Contractus iustitiæ, quo Dominum, vel usus alicujus rei,

rei, ex pacto transfertur in alterum, ad aliquam utilitatem contrahentium, vel reipublicæ & communitatis: hujus vero variorum sunt species, aut enim per contractum, mediante pecunia, res ipsa in se transfertur, & est emptio & venditio: aut res pro re transfertur, & est permutatio: aut Dominium transfertur, mediantibus obligationibus nonnullis appositis, vel secundum tempora modificatis, & est Census vel Emphyteusis, aut usus tantum rei transfertur, & est elocatio, in utuum, impignoratio contractus societatis.

2. Mercatura vero & negotiatio per se, absque culpa & injustitia exerceri potest, imo necessario exercetur, pro conservatione vitæ & societatis humanæ. Quia Deus hoc vinculo voluit homines ad invicem colligare, ut unus alterius indigeret adminiculo, & una Regio aliquibus gauderet, quibus alia indiget, ut sic per mutuam negotiationem sibi invicem succurrerent, societate & affectu invicem jungerentur. Dicitur (*per se*) id est ex natura sua: quod enim mercatura & negotiatio facta

fit mala, id avaritiæ & malitiæ hominum imputandum est, quæ fraudibus, dolis, usuris, iniustiis, illam deturpavit.

3. Porro respectu rei quæ venditur, sequentes iniustitiæ committuntur. 1. Si res defectuosa & in sua qualitate diminuta, vendatur pro re integra & in sua qualitate perfecta, maxime si defectus intuenti non appareat, eo quod ipse qualitatis rei sit ignarus. Tenetur enim ille qui vendit, defectum rei aperire, unde monet Apostol. *1. Thessal. 4. Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus.* 2. Si emptore explicante finem suæ emptionis, illi vendis rem quam scis omnino inneptam ad illum finem. 3. Si venditor vendat rem non suam. 4. Si vendit rem jure prohibitam vel ementi damnosam. 5. Si vendit rem non vendibilem: ut rem spiritualem vel spirituali annexam, est enim Simonia.

4. Respectu pretij etiam iniustitiæ committuntur, si taxatum jure pretium excedatur: ex parte vendentis injuste agitur. 1. Si mendacijs perniciosis persuadeat rem

rem esse bonam & integram quæ mala est, aut pluris valere quam valet. 2. Si perjurium addat. 3. Huc referenda sunt Monopolia & pacta mercatorum, qui frumentum, vinum & alia impie coacervant, & vendere nolunt, ut annonæ caritatem causantes, vendant inordinato pretio, ex quadam coactione invalescentis penuriæ, de his *S. Chrysofost: orat: in kalendis habita: maledictus qui rei frumentaria caritatem auget.* 4. Si mensuram suam fraudulenter immutet.

5. Ex parte e mentis injustitia committitur. 1. Si rem scienter multo minoris emit, ex eo quod venditor pretium commune ignoret, censetur circumvenire. 2. Si cogat venditorem ad vendendum rem minori pretio, V. G. quia venditor illi debitor est, & premit eum ut solvat, nec vult merces illius accipere in solutionem, nisi diminuto injuste pretio. Item si sciat venditorem esse in gravi necessitate, à qua ut se sublevet, tenetur vendere merces quovis modo. 3. Si simul et emptor se non indigere mercibus, sciens quia nullus mer-

cator illas emet, ut sic cogatur venditor ad vendendum. 4. Si fraude ac mendacijs venditorem circumveniat, ut merces ejus injusto pretio habere possit. Generaliter vero omnis injusta lesio in re gravi, in venditione & emptione quovis respectu fiat, sive ob excessum vel diminutionem pretij extra rationem justitiæ, sive ob fallaciam vel deceptionem in re, sive ex circumventionem vendentis aut ementis, est peccatum mortale.

Articulus Secundus.

De permutatione Pecuniarum sive Cambio.

I. **C**ambium est permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia, cujus variæ assignantur divisiones: 1. Est cambium reale, cum re ipsa una pecunia cum alia commutatur, ut argentea cum aurea, vel absens cum præsentis. 2. Est cambium fictum: qua pecunia pro pecunia datur absque ulla alteratione rei, & si ex illa pecuniæ nuda traditione lucrum accipiatur, est usura. 3. Est Cambium minutum quo fit permuta-